

Actus apostolorum

593

audiam vos. Iussitq; centurioni custodire eum et habere requiem: nec quemquam de suis prohibere ministrare ei. Post aliquot autem dies veniens felix cum dux illa vxore sua que erat iudea vocauit paulum. et audiuit ab eo fidem que est in christum iesum. Disputate autem illo de iusticia et castitate et de iudicio futuro: tremefactus felix respondit. Quod nunc attinet. vade: tpe autem oportuno accersiam te: simul et sperans quod pecunia ei daretur a paulo: propter quod et frequenter accersiens eum loquebatur cum eo. Biennio autem expleto: accepit successorem felix porcium festum. Volens autem gratiam prestare iudeis felix reliquit paulum vinctum. **XXXV**

Festus ergo cum venisset in provinciam post triduum ascendit iherosolimam a cesarea. Audieruntque eum principes sacerdotum et primi iudeorum aduersus paulum et rogabant eum postulantes gratiam aduersus eum ut iuberet perducere eum in iherosolimam tendentes ut interficerent eum in via. Festus autem respondit seruari quidem paulum in cesarea: se autem maturius profecturum. Qui ergo in vobis ait potentes sunt descendentes simul si quod est in uero crimine accusent eum. Demoratus autem inter eos dies non amplius quam octo aut decem descendit cesaream: et altera die sedit pro tribunali. et iussit paulum adduci. Qui cum perductus esset circumfiterunt eum qui ab iherosolima descendunt iudei. multas et graues causas obijcientes quas non poterant probare: paulo rationem reddente: quoniam in legem iudeorum neque in templum neque in cesarem quicquam peccauit. Festus autem volens gratiam prestare iudeis: respondens paulo dixit. Vis iherosolimam ascendere. et ibi de his iudicari apud me? Dixit autem paulus. Ad tribunal cesaris sto: ibi oportet me iudicari.

Judeis non nocui: sic tu melius nos? Si enim nocui aut dignum morte aliquid feci: non recuso mori. Si vero nihil est eorum que hi accusant me: nemo potest me illis donare. Cesarem appello. Tunc festus cum consilio locutus respondit. Cesarem appellasti: ad cesarem ibis. Et cum dies aliquot transacti essent agrippa rex et bernice descendunt cesaream ad salutandum festum. Et cum dies plures ibi morarentur: festus regi indicauit paulo dicens. Vir quidam est derelictus a felice vinctus: de quo cum essem iherosolimis adierunt me principes sacerdotum et seniores iudeorum postulantes aduersus illum damnationem. Ad quos respondit: quia non est romani consuetudo donare aliquem hominem priusquam is qui accusatur presentes habeat accusatores: locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina: que ei obijciuntur. Cum ergo huc conuenissent. sine ulla dilatione in sequenti die sedens pro tribunali iussi adduci virum. De quo cum stenissent accusatores nullam causam deferebant de quibus ego suspicabar malum: questiones vero quasdam de sua suppositione habebant aduersus eum: et de quodam iesu defuncto quem affirmabat paulus viuere. Hesitans autem ego de huiusmodi questione dicebam. si vellet ire iherosolimam: et ibi iudicari de istis. Paulo autem appellante ut seruaretur augusti cognitioni: iussi suari eum donec mittam eum ad cesarem. Agrippa autem dixit ad festum. Volebam et ipse hominem audire. Cras inquit audies eum. Altera autem die cum venisset Agrippa et Bernice cum multa ambitione. et introissent in auditorium cum tribunis et viris principalibus ciuitatis iubente festo adductus est paulus. Et dixit festus. Agrippa rex et omnes qui simul adestis nobiscum viri: videris hunc hominem de

ii 3